

decedenti, qui vixit de preventibus, eosque & dispensavit, qui titulo Ecclesiastico sunt annexi; & huic aut illi officio singulariter & seorsim destinati, maneat in hac singulari mala cum reliquo bonis titulo annexis; ipsique Titulari dispensatio relinquitur.

VI. Totius igitur distinctionis hic traditae fundamentum, tum constitutum in ipsorum bonorum Ecclesiasticorum, unde defunctus Clericus portionem suam accepit, conditione. Nam semper ea quae defuncto super sunt ad propriam conditionem redeunt. Quare si percepta fuerint ex aliquo massa communi, ad eandem communionem redunt; sin autem aliunde percepta fuerint, eodem redire debent. Ita Boetius Ep. loco citato n. 14.

VII. Hinc & ibidem resolvit cum Glozographo, quod quatenus Episcopi, Archidiaconi, aliquique in dignitate constituti, habent bona sua prorsus aliena & separata a bonis Capitulo communibus (quod Episcopo fere perpetuum est) non Capitulum, sed eorum successores in officium vel dignitatem, preferentur: quatenus vero praebendas, habent ex communi bonorum Capitularium corpore seu massa, instar ceterorum Canonorum, Capitulum praeferetur.

VIII. Recet autem notat Zypaeus in Jure Novo tit. De Testamentis num. 2, quod bona Clerici defuncti ad Capitalum vel Congregationem revertantur, non tam iure, hæreditatis, quam peculiari.

IX. Hac quidem inspecta hac Decretali & jure communni, at speciali consuetudine aliove titulo jam pridem, etiam post hanc editam Decretalem, Episcopi nonnulli res Clericorum seu beneficiorum decedentium sibi attribuerunt, uti evidenter supponit Synodus Piclavensis anno 1280. Can. 8. monens omnes qui Sede vacante aliquid ex bonis Clericorum intestatorum acceperint, Episcopo restituant. Verba Canonis sunt: "Monemus omnes illos, qui de bonis Sacerdotum vel Clericorum beneficiorum intestatorum aliquum habuerint Sede vacante, nobis vel mandato nostro restituant infra mensum.

X. Eamdem consuetudinem supponit, & non obscurè probat Bonifacius VIII. in Cap. 9. De Officio Ordin. in 6. Prohibet enim ne Episcopi, aut Abbates, seu quisvis alii Regulares vel seculares Praelati, vacantibus Dignitatibus, Personatibus, Prioratibus vel Ecclesiis quibuscumque sibi subjectis, eorumdum bona (morientibus eorum Rectoribus vel ministris) in ipsis inventa, occupare aut in usus suis convertere quo modo presumant: "Nisi (air) de speciali privilegio aut consuetudine jam prescripta legitimè, seu alia causa rationabilis hoc eisdem competere digneatur.

Concilium constantinense Sess. 39. tit. De Spoliis, vetat per Episcopos & inferiores Praelatos bona decedentium Clericorum occupari præter contra iuris communis formam, & constitutionem (ait) felicis Bonifacii VIII. quæ incipit, praesertim, super hoc edita specialiter in suo robore dura.

XI. Juxta hanc ergo declarationem Bonifacii VIII. tollatur consuetudo, que etiam hic in Belgio viger multo in locis, ut Episcopi Clericis intestatis, qui non sunt de certo Capitulo aut Congregatione, succedant, saltem in mobilia: quia major presumptio est, quod mobilia ex preventibus Ecclesiasticis fuerint ad usum quotidianos & necessarios comparata; quam imminobilia, que potius à parentibus tanquam patrimonialia ad Clericos devoluta supponuntur.

Magis enim indecorum, minusque conveniens statui Clericali, & conditioni preventuum Ecclesiasticorum consuetum est, bona imminobilia, que non ad necessitatem & usum quotidianum comparari solent, ex bonis Ecclesiasticis parare, quam mobilia, que necessitatibus & usibus quotidianis deseruire debent, quodammodo necessaria sunt.

XII. In Diocesi Leodiensi, si Pastores, beneficiari aut Presbyteri sine licentia condendi Testamentum ab Episc-

opo obtenta moriantur (sive condiderint testamenta sive non) eorum mobilia pertinent ad Reverendissimum Episcopum, quo cum Parentes aut hæredes defuncti ordinari convenient, ut mediante aliqui recognoscione in jus ejusdem Episcopi surrogentur. Hanc esse modernam Ecclesiam illius consuetudinem, milii de ea inquirenti rescriptum est. Eamdem nonnullæ Ecclesia Belgicae, quæ olim Dioecesis Leodiensis fuerunt, prætendunt.

XIII. Synodus Tornacensis anno 1481. cap. 7. præcepit Decanis, mobilia Presbyterorum statim post eorum obitum subsecuro & stricto arresto inventariari, ac inventariata teneri quod usque ei constiterit, an Presbyteri defuncti tñlamentum condiderint vel non. Si autem intestati decelerint bona prædicta per Dominos Decanos ad maiorem utilitatem vendantur, & taliter super hoc Decani disponant, quod ipsi inde gentibus & officiariis nostris computum & rationem loco & tempore debitum reddere possint, si vero testati fuerint testamento approbat, bona ex executoribus tradi imperat.

Hac ad verbum renovata fuere in Synodis anno 1509. & 1520. & in altera anno 1568. cap. 5. art. ultimo dicitur: "Sacerdotum intestatorum mobilia secundum antiquam nostram Dioecesis consuetudinem nobis competere declaramus." Hoc ipsum & posteriores Synodi confirmant.

XIV. Sicut autem Episcopi in mobilia dumtaxat succedere prætendunt, ita & Capitula passim, etiam hic in Belgio, Canonis intestatis succedunt tantum in bona mobilia, tamē si jure communi succedere deberent in omnibus bona, tam immobilia, quam mobilia ab Ecclesia profecta, sive ex preventibus Ecclesiasticis comparata: quænotat Zypaeus loco citato n. 1.

XV. Scribit Innocentius III. Episcopo Altissiodorensi: "Cum tibi de benignitate Sedis Apostolice sit indulsum, quod ordinatio rerum clericorum ab intestato decedentium liberè in tua potestate, ac dispositione permaneat, volens omnem materiam scandalis removere, quod alii quando inter te, & tuos est subortum, super duobus nos consulere volueri. Primo an appellatio vocabuli clericorum, tam ad Canonicos quam ad non Canonicos extenderit. Secundo, an illi qui in voluntate, & dispositione alterius suam committunt ultimam voluntatem nihil per se penitus, ordinantes, vel determinantes quid cui loco, vel persona conferri debeat, dicantur decedere intestati. Prima igitur consultation tua duximus respondendum, quod appellatio clericorum non solum alios, sed & Canonicos comprehendat. In secunda vero dicimus, quod qui extremam voluntatem in alterius dispositione committit, non videtur decedere intestatus.

Refertur hoc Innocentii Rescriptum partim in Cap. 13. & De Testamentis, & partim in Cap. 28. & De P. S.

Duo vero ex integro rescripto habentur. Primum quod vi indulti seu privilegi Sedis Apostolicae interdum Episcopo competat ordinatio & dispositio rerum Clericorum ab intestato decedentium. Hoc jure usus etiam est Thomas Archiepiscopus Eboracensis ex privilegio Alexandri III. teste Matthæo Parisiensi qui ad annum 1181. scribit: "Eodem anno Rogerus Eboracenensis Archiepiscopus diem clausit supremum 12. Kalendas Decembris, qui adhuc vivens à Papa Alexandre privilegium impetraverat, ut si Clericus hujus jurisdictionis suppositus, agens in extremis testamentum non conficeret & propriis manus bona sua moriens non distribueret, Archiepiscopus haberet facultatem injiciendi manus in bona defuncti.

Nomine Clericorum & Canonicos comprehendi, ostendit ipsum Innocentii responsum, adeoque quod excluso Capitulo, Episcopo vii privilegii competat ordinatio & dispositio bonorum quæ à Canonicis intestatis relinquentur.

XVI. Alterum ex hoc Innocentii responso habetur, quod

### Tit. XXXIII. De Decimis & Oblationibus. Cap. VIII. 791

si quis in dispositione & voluntate alterius dispositionem rerum suarum contulit non censetur decedere intestatus; nimis ad hunc effectum, ut vi privilegii Episcopo competit ordinatio rerum defuncti; tamquam is intestatus defecit; uti recte advertit Andreas Fachinaeus lib. 5. Controvers. cap. 57. notans quod ex integrō responso Ieu Decretal. Innocentii versus hic intellectus Cap. 13. & De Testamento sumi debeat.

XVII. Hic communiter statuunt Canonistæ, quod si sufficienter & legitime quocumque modo constet de voluntate defuncti, sufficiat excludendum Episcopum vel Capitulum a rebus Clerici defuncti, tamē si soleme testamento non sit.

Unde & inter statuta Capituli secunda fundationis eret per Eugenium IV. in Ecclesia S. Petri Lovaniæ repertus hic articulus: "Item statuimus ac ordinamus, quod ille non censetur ab intestato defunctus, neque poterit Decanus vel Capitulum de bonis ejus quomodo cumque disponere de cuius voluntate quomodolibet apparat et per scripturam publicam, aut etiam quantumcumque privatam, seu simplicem sive non solemnem manu decedentis scriptam, aut saltē subsignatam, aut de ejus scientia aut scitu signillata.

XVIII. Ex Joanne Fabro refert Choppinus lib. 1. De Juris d. Et. Andegavensis cap. 41. num. 1. in nota marginali, Aurelianenses Episcopos, & Capitula vindicare sibi bona Clericorum intestatorum veteri ac recepta consuetudine: addit autem Choppinus: Sed omnia ista progressu temporis excoleverunt.

XIX. Verisimile est, Choppinum reflexisse ad generalem Gallie consuetudinem, qua receptum est, quod exclusis Episcopo & Ecclesia, vel Capitulo, bona Clericorum intestatorum indistincte sive mobilia sive immobilia, undecimque provenient, etiam ex preventibus Ecclesiasticis, devoluntur ad proximiores consanguineos; non secus ac bona laicorum quemadmodum uno consensu tradunt Pragmatici Gallie, ut videri potest apud Broudæum in notis ad Louëtum litt. E. num. 4. idque & quoad fructus beneficij tam perceptos, quam percipiendos: citatque plurimas particulas Provinciarum & locorum consuetudines hinc generali juri Gallico conformes: monetque ex Molinæo, non tantum Decretales & canones huic consuetudini generali contrarias non esse in usu, sed & Capitulorum ac Ecclesiasticorum particularia Statuta ei contraria, judicari nulla & abusiva.

XX. Idque etiam quoad Episcopos qui ante Episcopatum vitam regularem vel monasticam erant professi: his enim intestatis mortentibus ex generali Gallie Consuetudine in universa bona succedunt proximi de sanguine, ut paulum testantur Pragmatici; & non semel judicatum fuisse refert Morniacus ad L. 33. ff. De Peculio.

XXI. Refert Wamefius Consilio Can. 371. arbitria sententia per amplissimos Dominos Consiliarios Concilii Arthesiensis, hæredibus Reverendissimi Domini Richardi Episcopi Atrebateni, ejusdem Episcopatus perceptos, & ante illius mortem collectos, & in horreatus fructus fuisse adjudicatos, non successori in Episcopatum.

Richardotum autem ex Ordine Eremitarum S. Augustini ad Episcopatum Atrebatensem assumptum fuisse constat.

XXII. Hæc tamen generalis consuetudo restringitur ad bona, quæ Episcopus, prælatus aliove Clericus acquirit suo nomine pro se & hæredibus suis. Si enim ea nomine Ecclesia comparaset, non essent hæreditaria, ut idem Author ex Molinæo refert judicatum.

XXIII. Similiter si appareat de destinatione & voluntate Clerici fundata super conjectura & presumptione vehementi, quod bona exempta in usum Ecclesie cedere volunt; quemadmodum in casu occurrente ibidem judicatum testatur Broudæus.

XXIV. Cum non tantum fructus percepti, sed & percipi-

Van Espe. Jur. Eccl. P. II.

piendi ad hæredes pertineant, queritur à Canonistis, quomodo fructus illius anni, quo beneficiatus abiit, dividendi sint inter hæredes defuncti & successorem in beneficium: communisque receptum, dividendos esse pro rata temporis quo onera beneficii tulit; eodem modo quo fructus dominio matrimonio, dividuntur inter viuam & viri hæredes; ut multis citatis Auctoribus & Parlamentorum Arbitris notat Broudæus ad Louëtum litt. F. n. 12.

XXV. Et hanc computandi rationem politia tum Civilis, tum Ecclesiastica passim recepit, ait Zypaeus Consult. 4. De Success. ab intestato, additque: "Nisi quod in pluribus Ecclesiis annum computari consuetum sit à festo S. Joannis, seu alterius Sancti pro cuiusque Ecclesia ob servantia; eo quod ad eum diem præcisè beneficiarii refidentiam inchoare possint, & debeant; & revoluto anno ad eundem diem finiant: unde eundem computum fructus ratio sequitur. Atque ejus quidem rationis semper ea causa manet, ut ad ratam præsteti eo anno servitū de beatu rata fructuum, respondeatque ratum operæ pretium, quatenus operarius dignus est mercede sua.

XXVI. Huic conflat quod in Synodo Antverpiensi sub Miræo tit. 8. cap. 22. decernitur: "Fructus Pastoratus aut beneficii vacantis per decepsum vel cessum debentur domui mortuaria pro rata temporis, quo possessor refert festum S. Joannis Baptæ.

Synodus P. II. Mechliniensis tit. 17. cap. 5. desiderat, ut Ecclesiis Parochialibus vacantibus, quam fieri potest certissime provideatur de idoneis Pastoribus; "Illiique (ait) mox instituantur, & sic à capta possessione, & inchoata residencia pro rata temporis fructibus gaudent.

XXVII. In aliquibus Ecclesiis fructus beneficii solent ipsi domi mortuaria, aut etiam Episcopo, vel Archidiacoно usque ad festum S. Joannis, vel aliud festum pro varia Ecclesiasturam consuetudine cedere.

XXVIII. Porro ad quocumque beneficii fructus pertinent, oneribus beneficii quoque satisfacere debent: res enim transit cum suo onere: neque ferendus efficit, volens lucrum amplecti, onera autem ferre recusaret, quemadmodum in re non absimili deciditur in Cap. PRÆSENTI De Officio Ordinarii in 6. ubi declaratur, quod si ex privilegio aut consuetudine aliqui cedant bona beneficii defuncti, "hoc de illis boni debeat intelligi quæ solitis debitis, si qua sint, & iis, quæ fuerint necessaria pro servitoribus & ministris ac incumbentibus oneribus, usque ad novos redditus supportandis, congrue reservatis, ex ipsis reporta fuerint upere.

Hinc in citata Synodo Antverpiensi post allegata verba subjuguntur: "Ulteriores (fructus vacantis beneficii) vero administrabit Sigillifer & debitis oneribus curabit satisfaciens.

Et ita quoque videmus usum observari, in Collectoribus Episcoporum, qui vacantium litigio forumque beneficiorum fructus occupant, ait Wamefius Consil. Cap. 372. quod nimis oneribus beneficiorum satisfacient pro rata temporis, quo fructus accipiunt. Videri possunt quæ de portione congrua danda Vicario seu Defervitori vacantiibus Ecclesiis Parochialibus dicta sunt tit. 22. cap. 5.

XXIX. In pluribus Canonicorum Collegiis consuetudo habet, ut fructus unius aut subinde plurium annorum cedant integri ipsi domi mortuaria; vocarique solet anno gratia, de quo anno gratia latè egit Henricus Cuykius Episcopus Ruremondensis in epistola paragnetica ad universum suæ Dioecesis Clerum de moderatione Cleri, testamentarii tabulis Ecclesiasticorum, & anno gratia abendo.

XXX. Hic multis hunc anno gratia improbat; notwithstanding quod ferè non alii quam Canonici hunc anno gratia habeant; "qui non solum viventes de preventu Ecclesiastis sustentati volunt; sed anno quoque gratia sibi ipsi indulgent; ut qui in manes etiam suos beneficii esse volunt.

Uuu 2 XXX. Quæ-

XXXI. "Quare igitur (ait Cnykius) quo jure hic annus invaluit quo percipientium merito quibus aucto-ribus? & quis probaverit? An Apostolica sedes? an Ordinariorum auctoritas? Neutrum horum dici potest. Sibi ipsi ergo hanc faciunt gratiam qui ab Ordinariorum se- se eximunt auctoritate, nec dirigi, nisi à se ipsi volunt. Quid mirum si impingant? Non sicut Pastores, non E-piscopi, non Beneficiarii alii, sed *Canonici soli*, consensu mutuo hunc quem dixi *annum gratia* adinvenerunt. Quo verò Consilio aut qua necessitate? Nempe quod uero veniret interdum, ut rerum suarum decoctores, qua- les sunt intemperati, ebriosi, Veneri ac ventri dedit, aleatores, ignavi ac torpidi Canonici, cum multo ære alieno ex hac vita discederint, nec supereret, unde conflata debita poslent dissolvi. Inde ceperit ille annus gratia: ut è proventu præbendæ ejus qui mortuus esset, & alienum dissolveretur. Irritamentu hoc fuit multis ad contrahendere dum debita plura & graviora: & quidem tanta interdum, ut extinguedillis nec *annum gratia* quidem possit suffi- cere. Quis non repueret injustum: ut qui ad Canonicos accedunt, & chori ac templi onera subeunt, propter e-iusmodi decoctores, debito frustrentur proventu? Et qui mortem obierunt, pro eo tempore, quo nullius Ecclesiæ praefat obsequium, fructu illius fruantur.

XXXII. Deinde ostensa hujus *annum gratia* in iustitia laudat Canonicos Ecclesiæ S. Petri Lovaniæ quod hunc annum gratia aboleverint, optatque ut eorum exemplum alii sequantur. "Quamobrem laudandi Lovanienses D. Petri Canonici, qui ante sex, septemque annos, eti primi anni sui fructu propter annum gratia qui antecessoribus cefserat spoliati omnes fuissent; his persuasi rationibus, & propter Pontificiam prohibitionem illam quæ annum gratia ubique aboliri voluit, libera voluntate & prorsus heroica virtute, toto suffragante Capitulo, annum gra- tia ita penitus abrogaverunt, ut nulla jam apud illos ejus extet memoriam. Imitati etiam sunt nostri Rurimun- denses Canonici; & te penitus introspecta, hunc non gratia, sed meret iustitia annum, pro se suisque posteris contempnendum quoque putaverunt. Optandum sanè ut cæteri omnes altiarum quārumlibet Ecclesiæ Canonici, ad eandem iustitiae normam redigantur; nec mortuos imposterum sinant in labores viventium introire, nec ratione ullam habendam putent decoctorum illorum qui suam profundunt substantiam, nullum finem faciunt, quid sit *Canonica distributione*, ubi Alexander scribit, "communem congregationem rerum illarum debere *Canonicam distributionem & curam* habere. Si enim intelligent distributionem in capita Canonicorum, vehementer falluntur; si autem intelligent distributionem secundum Canones, recte intelligunt.

XXXIII. Consuetudo transmittens proventus Ecclesiasticos aliaque ex redditibus Ecclesiasticis aut ab Ecclesia profecta ad proximos de sanguine ipsius Beneficiarii, videtur eodem fundamento niti, & eodem titulo tolerari, quo nititur & toleratur consuetudo testandi *validè* de eisdem provenitibus & bonis, etiam in favorem consanguineorum divi- tum; nimur propter *odia litium*; sive ne lites nimium multiplicarentur, dum bona patrimonialia aut aliunde quam ab Ecclesia profecta, à bonis Ecclesiasticis efflent secernenda.

XXXIV. Unde sicuti consuetudo sustinens validitatem testamenti quoad dispositionem horum Ecclesiasticorum, horum naturam seu conditionem non immutat: ita nec hæc quæ Clericorum intestatorum bona undecunque ob-

venientia defert ad proximos de sanguine.

XXXV. Itaque bona Ecclesiastica ad hæredes sive ex testamento, sive ab *intestato* devolvuntur sub eadem condicione & onere quibus fuerunt apud defunctum: neque per hanc translationem quidquam de natura horum honorum immutatur; sed ipsi hæredes ea, ut bona Ecclesiastica dispendare debent; & credere, quod sicut defuncto Clerico non licuit de iis luxuriari, & in profanos usus expendere; sic nec ipsi licet: utpote qui bona illa cum eodem onere ex persona defuncti accepterunt.

XXXVI. Scribi Thomas Cantipratanus lib. 2. cap. 55. relatum de Venerabili Gulielmo Episcopo Parisiensi, quod cum nuntiaretur ei "quemdam Canonicum Ecclesiæ Parisiensis intestatum decepsisse, & ipse de jure Canonico in tribus millibus marcharum succedere deberet ei dem, complosis manibus respondit: Absit hoc à me: sed heu misero pecunia sua fecum sit in perditionem: & hæc dicens, præcepit pecuniam in usus pauperum erogari." Addit deinde Cantipratanus: *Bene & dignè dixit & fecit.*

Neque alia fuit mens Patrum Concilii Toletani anno 1566, qui *Act. 2. cap. 18.* decreverunt: "Bona quæcumque eorum Clericorum qui *intestati* moriuntur, ad Episcopum vel consuetudine vel alio quocumque jure pertinente ac devoluta, per eundem Episcopum in pios tantum usus, ejus arbitrio expendantur.

Synodus Colonensis anno 1536. *parte 13. cap. 15.* ait: "Ubi Sacerdos nostra Diœcesis Colonensis mortuus est, *intestatus*, bona ipsius præter patrimonialia, quæ hæribus cedunt, deducunt ære alieno & funeralibus, in piam causam pro defuncti anime salute convertantur.

XXXVII. Joannes Molanus in suo tractatu de Pii Testamento *cap. 41.* notans quod Alexander III. in citato *Cap. 12. ii. De Testamento*, velit, ut dum Clerici intestati decedunt, communis Congregatio rerum ab ipsis reliætarum debeat *Canonicam distributionem & curam* habere; vel successor ea bona in *De timore dispensare*, concludit, "quod à decedentibus absque testamento, Ecclesia suo jure accedit, hoc non videri à Canonici*n in privatum* singulorum usum dividi posse; sed in *De timore dispensandum esse*, ut & animæ defuncti profit, & in *communem* totius Ecclesiæ utilitatem reddundet.

Itaque (ait Molanus) si qui Canonici sordida querant compendiæ, dicant, quid sit *Canonica distributione*, ubi Alexander scribit, "communem congregationem rerum illarum debere *Canonicam distributionem & curam* habere. Si enim intelligent distributionem in capita Canonicorum, vehementer falluntur; si autem intelligent distributionem secundum Canones, recte intelligunt.

Unde laudandum jam nominatum Capitulum Canonorum secundæ foundationis, quod nihil in utilitatem Canonorum vult applicari, sed juxta verisimilem mentem defuncti omnia diligenter. "Item statim & ordinamus, quod si contingat quem ex nostris Canonici decedere intestatum, de cuius voluntate non appareat, per quamcumque scripturam, etiam minus solenem, quod in illum eventum Capitulum dabit duos executores, qui de ejus bonis derelictis pro funeralibus, ac debitis legitimis, pro hæredibus, ac aliis ad pios usus applicandis habebunt legaliter dispensare secundum *verisimilem* mentem, ac voluntatem taliter decedentis.

## TITULUS XXXIII.

### De Decimis & Oblationibus.

#### CAPUT I.

De Origine Decimarum, & quo jure debeantur?

1. *Præceptum veteris legis de solvendis decimis per Christum renovatum non est.*
2. *Præceptum hoc ab Ecclesia, etiam in quantum iudiciale, renovari potuit; & quæratio renovandi.*
3. *In veteri lege hoc præceptum etiam erat partim morale.*
4. *Hodie parvum ex jure naturali, parvum ex jure humano decima debentur.*
5. *Incertum, quando præceptum de solvendis decimis populo Christiano datum fuerit: tribus primis sculis datum non est.*
6. *Cessante persecutione Imperatorum Ethnicorum fideliis populus de decimis solvendis moneri capit.*
7. *Adhortatio S. Hieronymi ad solutionem decimarum.*
8. *Sanctus Chrysostomus earum solutionem multum urxit.*
9. *Eas commendavit S. Augustinus.*
10. *His Patrum exhortationibus multi ad decimas solvendas adducuntur.*
11. *Nullum tamen adhuc erat præceptum de decimis.*
12. *Sermo de decimis reddendis falsò S. Augustino ad scriptum.*
13. *Consuetudo decimas solvendi sensim invalidus; & unde?*
14. *Seculo 6. Episcopos coegerunt laicos ad solvendas decimas constat ex Constitutione Justiniani Imp.*
15. *Occasione hujus legis invaliduit consuetudo apud Gracos non solvendi decimas.*
16. *Alia apud Gracos tributa in subsidium Sacerdotum sunt.*
17. *Obligatio decimas solvendi in aliquibus Ecclesiæ Latinis seculo 5. videtur fuisse.*
18. *Seculo 6. præceptum de solvendis decimis expressum Synodus Matisconensis.*
19. *Nullum antiquius de decimis solvendis præceptum creditur.*
20. *Capitularia Regum Francorum eam obligationem aperte edicunt.*
21. *Principes ad eam solutionem populum constringebant seculo 8.*
22. *Quam sollicitè decimarum solutionem urserint Principes, patet ex lege Longobardorum.*
23. *Noluerunt tamen constringi populum mediante iuramento.*
24. *Non facile permittenda in solutione vestigialium exactio iuramenti.*
25. *Non ubique solutio decimarum equaliter recepta & stabilita.*
26. *Decreta de solvendis decimis generaliter conciperunt seculo 10.*
27. *Pontifices aliquando generaliter Responsa exprimerunt attenta loci consuetudine.*
28. *Omissa mentione consuetudinis eorum fragmenta in Decretales Gregorii IX. relata.*
29. *Responsum Alexandri III. de decimis etiam apum solvendis multilatè in Decretales relatum.*

*Van Effen Jur. Eccl. P. II.*

30. *Ad responsa Pontificum ut in Decretales relatara- spexerunt posteriores Synodi & auctores.*

31. *Calestinus III. voluit etiam de militia decimas solvendas esse.*

32. *Indicatur eorum solutionem ex traditione SS. Pa- trum descendere.*

33. *Allusio ad sermonem falsò tributum S. Angustino.*

34. *Ex hoc responso Calestini receptum est, decimas etiam personales de jure debitæ esse.*

35. *An antiquitas de his solvendis extet præceptum?*

36. *Aliæ decimarum species, qua occasione invale- rint?*

I.  *N* Lege Mosaica, decimas ex fructibus & frugibus terra debitas fuisse Levitis & Sacerdotibus Veteris Legis dubium non est: at præceptum illud tamquam judiciale & merè positivum, Lega Mosaica per mortem Christi quod judicialia & ceremonialia mortua, etiam celasse: neque per Christum, aut Apostolos Christianis datum præceptum esse, ut *decimam* partem fructuum Clero seu Sacerdotibus Nova Legis solvere te- neatur, hodie à Canonistis & Theologis sat communi consensu recipitur.

II. Hanc sententiam probat S. Thomas 2. 2. q. 87. ubi una imprimis monet, præceptum de solvendis decimis datum in Veteri Lege fuisse unum ex præceptis *iudicialebus*; quæ quidem per Christum cessarunt; sed renovari potuerunt auctoritate eorum quorum est condere Legem.

Secundò docet, "quod determinatio decimæ partis solvendas, sit auctoritate Ecclesiæ, tempore Novæ Legis in-stituta, secundum quamdam humanitatem: ut scilicet non minus populus Novæ Legis ministris Novi Testa-menti exhiberet, quam populus Veteris Legis ministris Veteris Testamenti exhibeat.

III. Tertiò monet ibidem, præceptum de solvendis decimis etiam tempore veteris legis partem fuisse "mo-rale" inditum naturali ratione. Quod enim eis qui di- vino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria vires ministraret, ratio naturalis dicitur.

IV. Ex his concludit: "Sic ergo patet, quod ad solutionem decimarum homines tenentur, partim qui- den ex jure naturali, partim etiam ex institutione Ec- clesiæ. Quæ tamen pensatis opportunitatis temporum & personarum, posset aliam partem determinare solvendas.

Hæc Doctoris Angelici conclusio unanimi Theologorum & recentiorum Canonistarum calculo probatur, & ubique gentium ufo recepta est, explosa quorundam antiquorum Canonistarum opinione, qui volebant, populum Christianum ad specificam ac determinatam decimarum solutionem, non minus quam populum Ju- daicum, præcepto divino, nulla consuetudine abolendo, obligari.

V. At illud non æquè compertum, quandonam præcep- tum de solvendis decimis populo Christiano impositum sit.

Id sat expeditum videtur, tribus primis Ecclesiæ seculis, adhuc saeviente Imperatorum Ethnicorum persecutione in Christianos, decimas nondum solvit solitas; nec inter Ecclesiasticos proventus numeratas fuisse.

Uuu 3

San-